Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35036
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



in uitam eternam. Dicit ad eum mulier. Domine. da mihi hanc
aquam. ut non sitiam. neque ueniam huc haurire. Dicit ei
ihesus. Vade uoca uirum tuum. et ueni huc. Respondit mu
lier. et dixit. Non habeo uirum. Dicit ei ihesus. Bene dixis
ti. quia non habeo uirum. Quinque enim uiros habuisti. et
nunc quem habes. non est tuus uir. hoc uere dixisti. Dicit
ei mulier. Domine. uideo quia propheta es tu. Patres nostri in
monte hoc adorauerunt. et uos dicitis quia ierosolimis
est locus ubi adorare oportet. Dicit ei ihesus. Mulier cre
de michi. quia ueniet hora quando neque in monte
hoc. neque ierosolimis adorabitis patrem. Vos adoratis
quod nescitis. nos adoramus quod scimus. quia salus ex iu
deis est. Sed uenit hora et nunc est. quando ueri ado
ratores adorabunt patrem. in spiritu et ueritate. Nam pater
tales querit. qui adorent eum. Spiritus est deus. et eos qui
adorant eum in spiritu et ueritate oportet adorare. Dicit ei
mulier. Scio quia messyas uenit. qui dicitur xpistus. Cum ergo
uenerit annunciabit uobis omnia. Dicit ei ihesus. Ego sum
qui loquor tecum. Et continuo uenerunt discipuli eius et
mirabantur quod cum muliere loquebatur. nemo tamen
dixit. Quid queris. aut quid loqueris cum ipsa. Reli
quit ergo ydriam suam mulier. et abiit in ciuitatem. et dicit il
lis hominibus. Venite et uidete hominem. qui dixit mihi om
nia quecumque feci. Numquid ipse est xpistus. Exierunt de ciui
tate. et ueniebant ad eum. Interea rogabant eum discipuli
dicentes. Rabbi manduca. Ipse autem dixit eis. Ego ci
bum habeo manducare. quem uos nescitis. Dicebant ergo
discipuli ad inuicem. Numquid aliquis attulit ei man

185